

quædam, videlicet Persarum, Medorum et omnium eorum que sunt ultra mare. In hac enim terra vidi quoddam quod michi placuit valde.¹ Nam vidi hominem quemdam secum ducentem plures quam quatuor milia perdicum. Iste homo per terram veniebat, perdices non² per aerem volabant; has perdices ipse ducebat ad quoddam castrum quod vocatur Canega,³ distans a Trapesonda tribus dietis. Hæc perdices hujus erant conditionis et proprietatis. Nam cum ille homo vellet quiescere vel dormire, omnes se aptabant circa eum, more pullorum gallinarum; et sic isto modo eas ducebat Trapesondam, usque ad palatium imperatoris. Quæ cum sic essent ante eum de eis tot accipiebat quot ipse volebat. Alias autem predictus homo ad locum de quo prius illas acceperat perducebat. In hac civitate positum est corpus Athanasii super ipsius portam civitatis.⁴ Hinc recedens ivi in Armeniam Majorem, ad quamdam civitatem que vocatur Aritiron⁵; hæc civitas multum erat bona et opulenta multo tempore jam transacto, et adhuc esset nisi fuissent Tartari et Sarraceni, qui eam multum⁶ destruxerunt. Nam ipsa multum inundat pane carne et aliis victualibus multis præterquam⁷ vino et fructibus. Ista civitas⁸ multum est frigida. De ipsa enim dicunt gentes quod altior est terra, quæ hodie habitetur in mundo.⁹ Hæc autem multum habet bonas aquas, cujus ratio est hæc ut videtur. Nam venæ harum aquarum oriri videntur et scaturire a flumine Eufrate quod per unam dietam distans ab ista civitate labitur inde. Hæc autem civitas est via media, eundi Thauris. De hac recedens ivi ad quemdam montem qui vocatur Sovisacalo.¹⁰ In hac contrata est mons ille¹¹ in quo est archa Noæ. In quem libenter ascendissem si mea societas me præstolari voluisset; et quem quum ascendere voluerim tamen gens illius contratæ dicebat quod nullus unquam poterat ascendere illum montem. Nam hoc videtur et dicitur Deo altissimo non placere.

2. De civitatibus Thauris et Soldoniâ.

De ista contrata recedens me transtuli Thauris, civitatem magnam et regalem que Susis¹² antiquitus dicebatur. In ista ut dicitur est Arbor Sicca, in una moscheta et¹³ in una ecclesia Sarracenorum: hæc civitas nobilior est et melior pro mercimoniis quam alia aliqua civitas que hodie sit in mundo. Nam non reperitur hodie aliquid in mundo quod sit comestibile¹⁴ vel quod sit alicujus mercimonii, cujus illic magna copia

¹ *Ven.* Ut. quoddam valde pulchrum.

² Miscopied probably for *vero* as in most others. *Ven.* has hominem... perdices...sequebantur.

³ *Ven.* Zanega; *Ut.* Zanga; *Far.* Tanegar; *Hak.* Zauena; *Bol.* Tegana; *Ram.* Zanga. *The true reading doubtless Zegana.*

⁴ *Ven.* Is enim est qui fecit symbolum quod incipit Quicumque vult salvus esse ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem, etc.

⁵ *Ven.* Arziron; *Ut.* Aceron; *Far.* Arzirai; *Hak.* Azaron; *Mus.* Arciron; *Bol.* Caricon; *Ram.* Acron.

⁶ *Hak.* pro magnâ parte. *Far.* omits multum.

⁷ *Far.* primitus instead of præterquam.

⁸ *Ven.* regio.

⁹ Sit altior civitas totius universi.

¹⁰ *Ven.* Sobissacelo; *Ut.* Sollisaculo; *Far.* Bobis (?Sobis) Sachalo; *Hak.* as in *Ven.*; *Mus.* ditto; *Bol.* Sarbi-Sarbolo; *Ram.* Sollisaculo; *Marc.* Sobissacallo.

¹¹ *Ram.* il monte Gordico.

¹² *Bol.* Suors. *Ram.* Suci, . . qual fu sotto il dominio di Assuero Re. So *Ven.*

¹³ Et in should be id est, as in *Ven.*, *Mus.* and *Far.* *Hak.* and *Bol.* omit about the Arbor secco altogether.

¹⁴ *Bol.* here inserts nihil alicujus utilitatis, necessitatis, aut mercimonii.